



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. IV. Ordinis Præmonstratensis origo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

Est & altera Congregatio Canonorum Regularium apud Venetos, quæ à *Sancto Spiritu* nomen habet, per *Gabrielem Spoletinum* anno 1415. instituta.

## CAPVT IV.

*Ordinis Præmonstratensis origo.*

**I**nter Canonicos Regulares etiam recensentur *Præmonstrateses*, à S. Norberto Archiepiscopo Magdeburgensi anno 1120. instituti, & à *Præmonstrato*, primò illius instituti cœnobio, in diocœsi Laudunensi sito facti. Exstat huius Ordinis Chronicon à nobis magno labore concinnatum, & Colonia anno 1613. publicatum: ad quod curiosum Lectorem remittimus. Sanctis porrò ac Beatis, à me dicto in Chronico recensitis, isti poterunt adiungi.

B. *Ludouicus Comes*, & fundator Abbatia *Arensteiniana*, in diocœsi *Treuerensi*, ibidem Conuersus, an. 1185. obiit, VIII. Kal. Nouembris. Eius vitam edidit *Christophorus Brovverus Societatis Iesu*, *Mogütia* an. 1616. in libro, cui titulus, *Sidera Illustrum, & SS. virorum Germaniæ.*

B. *Garenbertus*, Abbas *Montis S. Martini*, in diocœsi *Cameracensi*: de quo vide *Molanum* in *Natalibus SS. Belgij.*

B. *Elco*, *Liaucama cognomèto*, Abbas *Lidlumensis*, in *Frisia Occidentali*, & diocœsi *Leouvardiensi*, an. 1332. martyrio coronatus triduo ante festum *Annunciationis Deip.*

B. *Gertrudis*, filia S. Elizabethæ Lantgraviæ Hafsiaë, virgo & Abbatiffa Aldenbergensis, in diœcesi Treuerensi, an. 1297. in Domino obdormiuit, ipso die S. Hippolyti.

B. *Radigundis*, virgo, quiescit in monasterio Charitatis, haud procul à Ciuitate Roderici, quæ est vrbs Episcopalis Hispaniæ. De quo monasterio nos in Chronico Præmonstratenfi egimus anno 1170.

## CAPVT V.

*Ordo Hospitalariorum S. Antonij, per Gastonem virum nobilem circa annum 1121. excitatus.*

1121. **C**irca annum Christi 1121. *Gasto*, vir nobili genere in prouincia Viennensi natus, eiusque filius *Girondus* floruerunt, quibus auctoribus S. Antonij societas, apud Motam, Viennensis diœcesis opidum, sumpsit exordium. Huius instituti sodales, pietatis officio intenti, pauperibus, mutilis, sacro igne tactis, cæterisque ægris ac debilibus hominibus subleuandis, ac sustentandis operam in primis id temporis dabant. Cui rei significandæ putât nonnulli à *Gastone* & *Girondo* adsumptam figuram Græcæ litteræ T. seu signum Potentiæ, vt Galli baculum seu scipionem, sustentandis debilibus proprium, suo idiomate vernaculo